

canones Apostolorum; secundum volumen *Decretales Gregorii IX* complectitur; tertium habet *Sextum, Clementinas, Extravagantes*.

In corpore juris, præter canones, occurrunt *rubricæ, summaria et glossa*.

Rubricæ sunt titulorum inscriptiones, ducto nomine a literis rubris quibus olim scribebantur. Distinguendum est inter rubricas *Decreti* et rubricas *Decretalium*; rubricæ *Decreti*, auctoritate privata confectæ, auctoritatem non habent; non item de rubricis *Decretalium* quas confirmavit Legislator. Harum posteriorum duplex est genus: aliæ orationem perfectam exprimunt, v. g. "Ne, sede vacante, aliquid innovetur", et ipsis competit vis legis in quantum legislatoris voluntatem manifestant; aliæ sensum perfectum non habent et nihil præcipiunt aut vetant, v. g. De rescriptis. *Summaria* sunt breves periodi quibus canones summam rediguntur. A privatis scriptoribus confecta, vim legis non habent, sed inserviunt canonibus interpretandis.

Glossa est uberior legum explicatio in corpore juris ad marginem textus collocata. Jus non habetur uti interpretatio privata, licet magnæ auctoritatis, ob usum scholarum. Makee, Inst. Juris Can. vol. I, num. 270 et seq.

21. **Jus novissimum complectitur Summorum Pontificum constitutiones** a Sixto IV (1484) ad nostra tempora, decreta et canones Concilii Tridentini et decisiones Sacrarum Congregationum. Partem præcipuam juris novissimi constituunt decreta Concilii Tridentini.

En sunt potissima monumenta ecclesiasticæ legislationis a tempore Apostolorum usque ad nostra tempora. Locuti non sumus de *jure nationali*, de quo in sequenti capite, neque de *regulis Cancellariæ Apostolicæ* in concessione beneficiorum et in dispensationum expeditione. Illud singulare præ se ferunt quod vim obligandi non habent, nisi vivente